

do pertinentia. Promissa Nov. Test. duo sunt, vitæ æternæ, quæ remissionem peccatorum & resurrectionem ex mortuis sibi præcedanea habet, & Sp. S. & c. Disp. 14. de V. Fœd. th. s. & Tom. 2. op. resp. ad Quæst. 20. p. 19. a. scribit: Promissa & comminationes, quæ legis istius vis erant, non erant nisi temporales & terrena, quæ contemnere ac posthabere possunt homines adfectibus suis. (Alibi tamen limitare videtur, concedendo, legis promissiones beatitudinem cœlestem præfigurasse, disp. de conven. Vet. & Nov. Test. s. 5. it. promissiones pacti cum Abrahamo initi cœlestem hereditatem adumbrasse, §. 21.) Huc faciunt quoque, quæ in Apol. pro Confessione editâ, communi nomine Remonstrantes professi sunt, videlicet certum esse, præceptum fidei in Jesum Christum nusquam in Vet. Testam. clarè traditum extare, uti neq; in terminis promissio vitæ æternæ in eo extet. p. 151. 6. & p. 26. 6. scribit dictæ Apologiae auctor: An expressa vitæ æternæ promissio solis N. Fœderis libris contineatur, alterius loci est, disquirere, & suo tempore à nobis examinabitur. Unum hoc loco tantùm dico, si clara & expressè DEI promissiones de salute ac vitâ æternâ etiam libris Vet. Test. continentur, quid opus est eâ de re digladiari? proferantur loca, & conclamatum est. Eandem doctrinam amplexus quoque ingentis aliàs vir eruditionis Hugo Grotius est, id quod lib. 2. de Verit. Relig. Christ. prodit, ubi. Moyses, inquit, in religionis judaicæ institutione, si diserta legis pacta respicimus, nihil promisit supra hujus vitæ bona, & c. & postea: Nam si quid est ultra, id umbris obtegatur, aut sapienti ac difficili ratiocinatione colligendum est: quæ causa fuit, cur multi, qui legem Moysis sequi se profiterentur, ut Sadducei, spem omnem de bonis post hanc vitam adipiscendis projicerent. Ex quibus modò adductis apparet, quòd opinio illa sat multorum occupaverit animos, in lege videl. Mosaica, atque adeò & reliquis ejusdem scriptis vel planè nulla, vel non expressa, vel minimè clara